3

SACRA RITVVM CONGREGATIONE

Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino

CARD. COLOREDO

HISPANIARVM.

Concessionis Officij, & Missæ propriæ

IN HONOREM

PATRIS ÆTERNI.

POSITIO





ROMÆ, M.DC.XCVI.

Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ.

HISPANIARUM

Concefsiō Officii, & Missæ propriæ in honorem

PATRIS ÆTERNI.

RESPONSIO

AD ANIMADVERSIONES

Reuerendifs. D. Promotoris Fidei.

SUMMARIOLUM.

Contentorum in hac Refponfione.

 Cul-

Cultus latriæ debetur, & congruit primæ diuinæ Personæ, etiam seiunctim ab alijs, ob eius dignitatem, & ob ingentia beneficia, ab ea hominibus collata.

Licèt omnia opera Dei ad extrà sint communia toti Sanctissimæ Trinitati, quædam tamèn attribuuntur singulis Personis diuinis.

Ex beneficijs, quæ primæ diuinæ Personæ attribuuntur, oritur ratio ei instituendi speciale Festum, ex S. Augustino.

7 Sicutì specialia Festa celebrantur pro Filio, & Spiritu sancto, ita decet celebrare pro Patre Æterno.

8 Quamuis pro alijs diuinis Personis Festa celebrentur ratione mysteriorum, hæc etiàm conueniunt primæ diuinæ Personæ ob illius condescensionem.

In id adducuntur verba Theophyli Raynaud.

9 Si mysteria Filij, & Spiritus sancti habuerunt expressam manifestationem, hæc etiam patet in Patre Æterno, qui pluries se manifestauit in testamento veteri, & ter in nouo per vocem.

10 Inuocatio Æterni Patris suadetur à Sacra Scriptura.

Explicatur locus Ecclesiast.

11 Facta Christi sunt nobis præcepta.

Afferuntur plura loca Euangelij, quibus Christus inuocauit Æternum Patrem, eumque inuocandum nos docuit.

Præsertim ex Oratione Dominica Pater noster &c.

Verba, Pater noster, intelliguntur de Patre Æterno, ex pluribus Sacris Interpretibus.

Si intelligantur de tota Sanctissima Trinitate, fortiùs verba, Pater noster, denotant, specialem Cultum exhibendum fore Æterno Patri.

Adducuntur in id verba Laurentij à Ponte.

12 Vsus Ecclesiæ circà inuocationem, & adorationem Æterni Patris distinctim ab alijs diuinis Personis, ex pluribus, quæ recensentur.

Præsertim ex collocatione Imaginis illius in Templis, etiàm seiunctim ab alijs diuinis Personis.

Ecclesia non permittit in Templis Imagines eorum, quos publicus Cultus non decet.

Raynaud, & Reuerendis. Promotor concludunt, speciale Festum in honorem Æterni Patris esse pium, & sanctum.

13 Examinatur secundus articulus: an expediat instituere hoc Festum.

Obijcitur nouitas huius Festi.

Cùm Festum admittatur pium, & sanctum, nil obstat nouitas, ex Cassiodor.

Heretici non valentes impugnare veritatem, impugnant nouitatem, ex D. Bernardo.

Quæ nouitas non sit nouella vanitatis, ex eodem.

Duplex demonstratur nouitas, alia commendabilis, alia detestabilis.

Nouitas huius Festi ostenditur commendabilis.

Religio non est æstimanda ex tempore.

Si Dæmon quotidiè noua excitat ad malum, decet, vt Deus noua inspiret ad bonum, ex Tertull.

14 Contrà nouitatem Festorum affertur à Raynaud, & à Reuerendiss. Promotore Epistola S. Bernardi.

15 S. Ber-

15 *S. Bernardus impugnabat nouitatem Festiuitatis inconsulta Sede Apostolica, quæ hodiè consulitur.*
Idem Sanctus improbabat Festum mysterij, tunc temporis Oraculis Pontificijs non illustrati, quod inuoluere videbatur peccatum, quæ ratio cessat in Festo Æterni Patris.
16 R*ursùs expenditur d. Epistola S. Bernardi.*
17 *De corpore mystico Christi iudicandum est vt de naturali.*
Expenditur vtrumque corpus, & demonstratur, Spiritum Sanctum opportunis temporibus inspirare quid opportunum sit in Ecclesia.
Id comprobatur ex doctrina Gersonis, Card. Lauræ, S. Ioannis Damasceni, & ex verbis Christi.
Hoc etiam admittit Raynaud circà inducendos nouos ritus, & recensentur eius verba.
18 *Ex Anonymo apud eumdem Raynaud indicatur catalogus nouarum Festiuitatum, per plura secula incognitarum.*
Vndè qui eas introduxerunt, non præsumpsere se antiquioribus Patribus sanctiores, aùt deuotiores.
19 *Festum Sanctissimæ Trinitatis diutissimè nullibi celebratum fuit.*
Quando actum fuit de eo instituendo, non defuerunt impugnatores, & qui.
Ratio, ob quam improbabatur hoc Festum.
Summus Pontifex ex ea ratione tale Festum instituere noluit.
Hic Pontifex fuit Alexander II. non III. vt nonnulli existimarunt.
Adducuntur verba dicti Pontificis.
Ioannes XXII. non obstante dicta ratione, & denegatione alterius Pontificis, dictum Festum instituit.
20 *Aptatur hoc exemplum petitæ institutioni Festi in honorem Patris Æterni.*
21 *Expenditur circà id Raynaud, & demonstratur ex Suarez, qua de causa fuit posteà institutum Festum Sanctissimæ Trinitatis, & ex eo quod deeet instituere Festum Æterni Patris.*
22 *Perpenditur ratio institutionis Festi Augustissimi Corporis Christi ex Bulla Vrbani IV.*
Ratio institutionis dicti Festi comprobat institutionem Festi in honorem Æterni Patris.
23 *Perpenditur Festum Dominicæ Passionis.*
Non est inconueniens plura Festa agere de eodem mysterio ex diuersis respectibus.
Idquè aptatur Festo Æterni Patris.
24 *Festum Natiuitatis Christi, propriè dicitur Festum Æterni Patris secundùm aliquos.*
Ergò Festiuitas Æterni Patris non est nouitas.
Ex hoc ostenditur necessitas instituendi speciale Festum ad veram cognitionem diuinarum Personarum.
25 *Festum Apostolorum antiquis temporibus sub vnica festiuitate celebrabatur, ex S. Petro Damiano, & alijs.*
Ex hoc Festo adducitur argumentum Raynaud contrà Festum Æterni Patris, & soluitur ex Festis deindè introductis pro singulis Apostolis.
26 *Hierosolymis aderat Templum in honorem Æterni Patris tempore Cyrilli Hierosolymitani, ex verbis ab eo adductis.*

Demonstratur, hoc Templum non esse illud antiquum Salomonis, triplici ex capite.

27 *Respondetur ad obiectum, quod non constet de aliqua concessione Sedis Apostolicæ pro hoc Festo.*

28 *Afferuntur Officium, & Missa propria de Patre Æterno, in Diœcesi Burdegalensi bis impressa, & ab Episcopis approbata.*

Introductis nouis Festis in Ecclesijs particularibus, ea deindè suscepit Ecclesia Romana, & vniuersalis.

Hic agitur de Festo pro sola Hispania.

29 *Explanatur ratio: cur antiquis temporibus institutum non fuerit speciale Festum Æterni Patris.*

30 *Exponitur alia ratio.*

31 *In primis seculis ob timorem Idololatriæ non fuit exhibitus publicus Cultus Beatissimæ Virgini.*

Idololatria, & hæresi Nestoriana extincta præstitus fuit ab Ecclesia publicus cultus Deiparæ.

Festum Natiuitatis Beatissimæ Virginis tempore S. Augustini erat incognitum.

32 *Festum S. Josephi non celebrabatur tempore Gersonis.*

Adducuntur circà id verba Conelij à Lapide, & Guyeti.

Timor hæresis Cerinthi, ratio fuit, vt per longæuum tempus S. Joseph non coleretur, ex S. Bernardino Senensi, & alijs.

Ad id expenditur: cur accedentibus Magis ad Præsepium, non fiat in Euangelio mentio S. Josephi.

33 *Serotinus Cultus Sanctissimæ Virginis, & Beatissimi Sponsi fauet institutioni Festi de Patre Æterno, anteà non introducti, ob hæresim nouiter exortam contrà illius Cultum, & ob auctam deuotionem fidelium.*

Adducitur dictum Petri Cellensis.

34 *Obijcitur ex concessione huius Festi peti deindè posse Festa generationis, & spirationis æternæ, hucusquè non celebrata, & nimis augeri Festorum numerum, ex Raynaud.*

35 *Exigitur speciale Festum Æterni Patris, eo quod fit de alijs diuinis Personis, ad euitanda pericula imperitorum.*

Pro hoc Festo adest peculiaris ratio, quæ non congruit Festis æternæ generationis, & spirationis.

Festum æternæ generationis fit ab Ecclesia in Natiuitate Dominica ob celebrationem primi Sacrificij, ex D. Thoma, & Rupert.

Populus ignarus non penetrat, quod Festa Christi, & Spiritus Sancti, sint addicta Mysterijs, & nullum Festum videns Æterni Patris, ex hoc faciliùs errare potest, quàm circa processiones.

36 *Obijcitur, vulgus ex hoc Festo credere posse, quod ea die Festi Æternus Pater genuerit Filium, & errare in vnitate diuinæ essentiæ, ex Raynaud.*

37 *In Populo rudi cessat hoc periculum, cùm sit incapax diuinarum processionum.*

Ex toto Officio exhibito pro cunctis cessat hoc periculnm.

Si tale periculum vrgeret, non esset permittendum Festum Dominicæ Passionis, & quarè, ex S. Augustino.

Sic ob timorem diuulsionis diuinarum Personarum non esset permittenda in Ecclesijs Imago Patris Æterni, vt permittitur, & contraria sententia damnatur.

Magis

Magis potest errare Populus ex Imagine, quam ex Festo, & quare, ex S. Gregorio.

38 *Ad magis compescendum his temporibus Hesselij errorem circa dictam Imaginem Æterni Patris, expedit instituere hoc speciale Festum.*

Ex hac ratione præcipuè expetitur Festum à Maiestate Catholica, Hispaniæ Episcopis, & Religione Seraphica.

Affertur iterum ex hoc capite exemplum institutionis Festi de Sanctissimo Sacramento.

Recensentur verba Bullæ Vrbani Quarti.

Item Sacri Concilij Tridentini.

Quæ congruunt institutioni Festi de Patre Æterno, etiam ex Raynaud.

39 *Obijcitur, Sacram Congregationem alias prohibuisse Missam de Patre Æterno, Madriti impressam.*

Refertur Decretum Sacræ Congregationis.

Prohibitio emanauit, quia id actum fuit sine assensu Sacræ Congregationis.

Aptatur Epistola S. Bernardi.

Quæ prohibitio nil operatur contra Officium, & Missam, quæ à Sede Apostolica postulantur.

Ex ea tamen prohibitione liquet, non esse recentem Fidelium deuotionem erga Æternum Patrem.

Officium, & Missa celebrata, ac semel, & iterùm impressa sunt in Diæcesi Burdegalensi absque S. Sedis Oraculo, nec hucusque prohibita apparent.

40 *Festum Æterni Patris Sanctissimus approbauit largitione Indulgentiæ pro eadem Festiuitate.*

Expenditur circa id robur dictæ Indulgentiæ, pluribus allegatis.

41 *Ex eadem Indulgentia demonstratur facilior concessio Officij, & Missæ, ex Decreto Sac. Congregationis.*

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

1\. SVMMA Dei Prouidentia, vt Ecclesiam, Vnigeniti sui Filij Sponsam, sine macula, & ruga perpetuò seruet, quotiès prauis opinionum erroribus impij homines eam fędare conati sunt, toties illis pios viros obijcere consueuit, qui errores huiusmodi profligarent, vt ad finem sextæ lectionis in horarijs precibus S. Ignatij Loiolæ Pontificio Oraculo confirmatur, & multis adductis latè tradit Floremund. Ræmund. *Synops. controuers. lib. 5. cap. 1. §. 3. & cap. 2. §. 1.* Hinc factum est, vt cum Ioannes Hesselius, innouata Caluini, aliorumque Iconomachorum hæresi, temerè scriptis asseruerit: *Dei Patris simulacrum nefas est in Christiano Templo collocare*; & hanc propositionem, inter alias vigesimam quintam, damnauerit san: mem: Alexander VIII. die 7. Decembris Anni 1690. plures pijssimi, æque ac doctissimi in Hispania Viri, eam mentem assecuti sunt, vt pro hac hæresi radicitus extirpanda, Congregationem religiosissimam instituerent ad specialem Cultum Æterni Patris, cui iam nomen dedere Catholicæ Maiestates, Eminentissimus Nuncius, Principes, & Primores, ac etiam Sacræ Familiæ diuersorum Ordinum, certis rectè præscriptis regulis ad innocuam vitam traducendam, ac Pupillorum, & Viduarum, Inopumque egestatem subleuandam, ex monito

monito S. Iacobi *Epist. Cathol. cap. 1.* scribentis: *Religio munda, & immaculata apud Deum Patrem, hac est: visitare Pupillos, & Viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Quæ Congregatio, & Constitutiones, vtpotè respicientes augmentum pietatis, & Religionis Catholicæ, ac debitum Deo famulatum, prævio doctorum Virorum examine, approbatæ fuerunt die 25. Augusti Anni *1693.* ab Eminentissimo D. Cardinali Portocarrero Archiepiscopo Toletano, vt ex libello impresso, qui datur Eminentissimo D. Relatori; & quod magis est, istud pium Institutum rarum etiam habuit Sanctissimus D.N. qui Sodales Congregationis huiusmodi Indulgentiarum thesauro locupletauit, præcipuè pro die solemnis Festiuitatis, vt ex eodem libello cum relatione authentica documenti.

2. His ingenti plausu in Hispania exceptis, similes Congregationes ad honorem Patris Æterni varijs in locis erectæ sunt; cumque eximio feruore præscripta pietatis opera exerceantur, vt pleniùs deuotio huiusmodi roboretur, Rex Catholicus, & triginta Hispaniæ Antistites preces porrexerunt Sanctissimo D. N. vt approbare dignaretur Officium, & Missam propria de Patre Æterno, sub ritu duplici primæ classis cum Octaua, pro celebratione Festi Dominica quinta post Pascha, vt in libro, pariter dato Eminentissimo D. Relatori. Accedit etiam supplicatio totius Religionis S. Francisci, quę Comitijs generalibus, die 5. Iulij 1688. habitis in Conuentu Aracęlitano, præcepit Procuratori Generali in hæc verba: *vt obtinere curet, quod in Ordine nostro specialis fiat de Æterno Patre solemnitas cum Officio, prout in optatis habent quamplurimæ diuersarum partium Animæ deuotæ*, vt ex Directorio Trium Ordinum S. Francisci, Romæ, impresso, *num.* 38. *in fin. pag.* 40. quod etiam traditur Eminentissimo D. Ponenti. Remissis autem precibus ad hanc Sacram Congregationem, annui supplicamus institutioni dicti Festi, committendo reuisionem Officij vt si aliqua ex parte correctionis indigens videretur, Eminentissimi Reuisoris iudicio, & prudentia redigatur in meliorem formam, absque eo quod obstaculum præbere valeant Animaduersiones Reuerendissimi D. Promotoris Fidei, etsi de more doctissimæ.

3. Duo articuli in dictis Animaduersionibus expenduntur, nimirum: An huiusmodi Festum instituere liceat, & : An expediat; & quamuis circa primum, libratis hinc inde rationum ponderibus, Reuerendissimus D. Promotor licere affirmet, circa tamen secundum, doctrinę Apostoli 1. *Cor.* 6. 12. innixus *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, non expedire contendit.

4. Sat itaque in pręsentia esset responsionem restringere ad hunc postremum articulum; at quoniam nonnullæ rationes in præcedenti ponderatæ, argumentum prębere asserunrur, quin expediat instituere hoc Festum, tametsi vrgere non videantur ad demonstrandum idem Festum non esse licitum, abs re non erit super vtroque articulo disceptare.

5. Præmittere in primis debemus, quod per Festum Æterno Patri soli dicandum, non excluduntur alię diuinæ Personæ ab obiecto celebrationis eiusdem Festi, saltem implicito, cùm Paternitas intelligatur in recto, connotans alias duas Personas in obliquo, ex D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 31. *art.* 2. & 3. nam in Personis diuinis, tàm omnibus, quàm singulis, datur mutua immanentia, quam ex S. Ioanne Damasceno *lib.* 1. *de fid. Orthodox. cap.* 11. circuminsessionem Theologi appellant, Suar. *tom.* 3. *in* 1. *par. D. Thomæ lib.* 4. *cap.* 16. Baldell. *Oper. moral. tom.* 2. *lib.* 3.

lib.3. disput.3. num.3. ad fin. Guyet. *Heortolog. Sacr.lib.1. cap.6. qu.5. in princ. pag.57.* Et propterea possumus vnamquamque Personam nominatim, & per se, & prout distinctam ab alijs, venerari, & colere, sicuti & possumus vnamquamque per se, & prout distinctam, mente concipere, & verissimè affirmare, quod sit Deus, non quidem explicitè, & positiue, excludendo alias à nostra adoratione, sed negatiuè nos habendo ad illas, vt notant Suar. *de Religion. tom.2. lib. 1. de Orat. in comm. cap. 9. num. 13.* Azzor. *Institut. Moral. par. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 7.* Baldell. *d. disput. 3. cit num. 3. prope fin.* & aduertit etiam Reuerendissimus D. Promotor §. *Verùm his cumsequenti*; quamobrem ex institutione, & vsu Ecclesiæ vnamquamque Personam diuinam, prout distinctam ab aliis, quotidiè oramus in Litanijs *Pater de Cælis, Deus, Fili Redemptor mundi, Deus, Spiritus Sancte, Deus*, quod facere Ecclesiam docet Suar. *d. num.13.* ad profitendam hanc fidem de distinctione Personarum & quod singulæ sint verus Deus, vt autem profiteatur, omnes esse vnum Deum, subiungit: *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*, eademque ratione possumus etiam specialiter nos subijcere vnicuique Personæ, & ad vnamquamque dirigere nostram adorationem, vt confirmant, præcitatis locis Auctores adducti, ac Theophil. Raynaud *Heterocl. Spirit. tom.15. pag.25. sect. 1. pun. 2. pronunciat. 1. sub num. 4. & latè sub num. 7.* Et quoniam in hoc sensu instituitur Festum Æterni Patris, Officium compositum non excludit alias diuinas Personas; nam eæ quoque recoluntur, in Antiphonis, Lectionibus, Capitulo, Hymnis, alijsque partibus, & præsertim in Oratione, quæ ita concepta legitur: *Omnipotens sempiterne Deus, de cuius fœcunditate intellectus ante secula generatur Filius, & ab vtroque in vinculo amoris spiratur Spiritus Sanctus, visibilium, & inuisibilium Creator, Pater misericordiarum, largire supplicibus tuis, vt amotis internis, externisque diffidijs, bona pacis percipiamus in terris, & te præmio charitatis perfrui mereamur in Cælis; Qui viuis, & regnas in vnitate eiusdem filij tui Iesu Christi, & Spiritus Sancti per omnia secula seculorum.* Quamobrem cum S. Fulgent. *lib. 2. ad Monim. cap. 5.* apud Card. Bona *de Diuin. Psalmod. cap. 16. §. 17. sub num. 4.* dicere possumus: *Nullum praiudicium Filio, vel Sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris Personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consummatio, dum Filij, & Spiritus Sancti complectitur nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen; quia dùm ad solius Patris Personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur; & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni Trinitati vno, eodemque offertur litantis officio.* His ergo præmissis..

6. CIRCA primum Articulū: Cultum latriæ primæ diuinæ Personæ deberi, & congruere, nemo est, qui inficiari audeat, & hunc exhiberi posse etiam distinctìm, modo proximè expresso, ab alijs diuinis Personis, constat ex auctoritatibus *ibidem* allegatis, & plenè Laurent. A Ponte *in Sapient. Salomon. tom.2. cap.15. Num.3. homil. 65. §. 1. per tot.* Raynaud. *d. pronunc.1. pag. 26. col. 1. in princ.* Et hoc præsertim ob dignitatem dictę primę Personæ, cuius laudes nunquam satis enunciarentur, vt ex Cyrillo Hierosolymit. & D. Augustino tradit. A Ponte *d. homil. 65. num.22. 23. & 32.* & ob ingentia beneficia, quæ descendunt à Patre luminum, cum S. Ecclesia adeò Christo Domino gratam se exhibeat, vt nedum pro beneficijs communibus, ac particularibus gratiæ, & supernaturalibus, Festa, & particulares preces instituat, sed etiam ob bene-

beneficia singularia, quamuis corporalia sint, immo & Personæ particulari largita, vt adductis exemplis ponderat idem A Ponte *num.* 24. *&* 29. *cum pluribus sequen.* & Anonymus apud Raynaud *pronunc.* 2. *sub initium pag.* 30. *vers. deinde*; Vnde D. Thom. *in Ioan.* 10. *le.* 6. *ad med.* docet: *beneficia toti Ecclesiæ collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui Sancto, quod in Festo eius recolitur.* Quicquid dicat idem Raynaud *ibidem num.* 15. quod opus Incarnationis, vti actus Dei liber, sit communis etiam alijs duabus Personis, & ob id non sit ex hoc sumenda ratio specialiter gratias agendi Patri, & ei Festum instituendi; nàm licèt omnia Dei opera ad extra communia sint toti Sanctissimæ Trinitati, aliqua tamen Patri, aliqua Filio, & aliqua Spiritui Sancto speciatìm attribuuntur, & ratione attributionis plus vni, quam alteri debitores inuenimur, vt apprimè respondet A Ponte *d.* §. 2. *pag.* 598. *num.* 26. *& sequen.* & S. Ecclesia Æternum Patrem veneratur, tanquam fontem, & originem omnium bonorum, ex Epist. Catholica S. Iacob. 1. 17. & alijs allatis à Reuerendissimo D. Promotore §. *Conferre quoque*; & ex Præfatione Missæ, qua dicitur *verè dignum, & iustum est, æquum, & salutare nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui &c.* & hæc est ratio potissima introducendi speciale Festum, vt docet S. Augustinus *de Ciuit. Dei lib.* 10. *cap.* 4. vbi ait: *Ei beneficiorum eius solemnitatibus Festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.*

7. Augetur huius Festi decentia, ex eo quod celebratur distinctìm de duabus alijs diuinis Personis, vnde dignum videtur, quod de prima itidem celebretur, vti obseruant Anonym. apud Raynaud *pronunc.* 2. *pag.* 24. *vers. rationes verò*, A Ponte §. 3. *in princ. pag.* 601. Guyet. *cit. quæst.* 5.

8. Et quamquam Reuerendissimus D. Promotor §. *Sed in bonerem cum sequenti* obijciat ex Raynaud, Festa, duabus posterioribus Personis addicta, spectare certa mysteria, respectiua talium Personarum, obiectum soluitur ab eodem Raynaud, qui *pronunc.* 1. *pag.* 26. *col* 1. *sub initium vers. neque dicas* respondet: „ *In primis* ad omnia illa mysteria Patrem quoque interuenisse per benignam condescensionem, vt S. Dionysius *de Incarnat.* loquitur; ratum enim est apud Theologos, opera ad extra communia esse toti Trinitati. Deinde etiamsi omnia externa Dei opera excludamus, Personæ singulæ Diuinæ, quatenus Diuinæ, & prout flores diuinæ essentiæ, veluti adnascentes, vt S. Dionysius loquitur, sunt cultu, & veneratione dignissimæ, non modo omnes simul, quo pacto constituunt substantialem terminum adæquatum Diuinitatis, sed etiam seorsim, eo modo, quo vnaquæque Persona est seorsim ab alijs, quia vnaquæque earum est verus Deus, quem constat esse supremo cultu dignissimum. Atque ita videmus in litaneuticis formulis singulas Personas & coli seorsim, & inuocari, beneficiumque misericordiæ nobis erogandæ, ab vnaquaque earum posci, nullaque ad Patrem, & Spiritum Sanctum mentione facta mysteriorum temporalium, editorum in bonum nostrum, sed nuda, & simplici Personarum illarum appellatione, & veneratione; quod etiam prosequitur comprobare; idque strictìm indicat Reuerendissimus D. Promotor *sub* §. *banc etiam opinionem*.

9. Quod si adhuc obijceretur, Festa aliarum Personarum ideo celebrari addicta mysterijs, ob expressam manifestationem, tàm Filij, quàm

Spiri-

Spiritus Sancti, præter proximè adducta, responderemus; quod etiam Æternus Pater se manifestare dignatus est, nedum in veteri Testamento, vt centies sacra Scriptura commemorat ex late traditis à Thyræo *integr. tract. de Diuin. seu Dei in veter. testam. apparition.* sed in nouo item. Primò in Iordane *Matth.* 3. 17. ibi: *& ecce vox de Cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Secundò in Thabore *eod. Matth.* 17. 5. ibi: *& ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Tertiò paulò ante Passionem *Ioan.* 12. 28. ibi: *Pater clarifica nomen tuum; venit ergo vox de Cælo: & clarificaui, & iterum clarificabo*; ex quibus locis optimè D. Thom. *par. 3. quæst. 39. art. 8. ad 1. & ad 2.* demonstrat, Patrem visibiliter apparuisse, illamque vocem Sanctissimo appropriari Genitori, sicut Columbam Spiritui Sancto; & D. Augustinus *serm. 63. de verbis Dom.* inquit: *vbi Trinitas fecit de Cælo Columbam sed non pertinuit, nisi ad solum Spiritum Sanctum, Trinitas fecit de Cælo vocem, sed non pertinet, nisi ad solum Patrem*; ac S. Cyprianus *de Baptism.* ait: *hucvsque Domine Sancte Pater non audiuimus te ita loquentem, vt personaliter tibi assignaretur loquutio, quàm proferres; hanc vocem à Paternitate tua allatam nemo est qui ambiget, nemo est, qui tibi hoc verbum audeat derogare.* Quare Pater etiam mysteria operatus est, & sensibiliter fuit auditus, ideoque si ratione mysterij, & manifestationis celebrantur Festa aliarum Personarum, celebrari etiam conuenit Festum Æterni Patris, vt argumentantur A Ponte §. 3. *pag. 602. num. 45.*

10. Id ipsumque suadetur ex sacra Pagina, ad nostram doctrinam scripta. Siquidem *Eccles.* 51. 14. Siracides sic orabat: *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio*, ex quibus verbis Cornel. à Lapid. cum Rabano *pag. mihi* 1020. *col. 2. litt. B.* aduertit, quod per eumdem Siracidem *Spiritus Sanctus voluit hic toti Ecclesiæ, omnibusque Fidelibus dare formam gratias agendi Deo pro liberatione à quibuslibet periculis, & malis; vnde Ecclesia, eam vsurpat, applicatque S. Agneti, alijsque Sanctis Virginibus, & Martyribus, illamque legit in earumdem Officio, & Missa*; & insuper *ibidem pag.* 1025. *col. 1. litt. C.* notat, Siracidi, & Priscis Iudæis cognitum fuisse Deum Patrem, & Deum Filium, adeoque mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & ex Palacio subdit: *Tantùm est Deum adorare, quatenus Pater est, tantùm valet apud Patrem memoria Filij; plus valet mentio Patris, quàm Omnipotentis &c. amat enim Pater Filium; ideò Ecclesia, a Filio instituta, Patrem per Filium deprecatur, omnesque Orationes, & Collectas ita concludit: per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum &c.*

11. Et omissis pluribus, que ex Testamento veteri adduci possent, efficacissimum existimari debet Christi Domini exemplum; *ipsa enim facta Domini præcepta sunt, quià dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit*, inquit ex D. Gregorio Radulph: *de Canon. obseruant. proposit. 17. post med. in volum. diuers. de diuin. Offic. pag. 658. col. 1. litt. B.* Ab eo nanque sæpè sæpiùs docemur exhibere cultum Æterno Patri; vt disertè probatur à Reuerendissimo D. Promotore §. *conferre quoque*, & plura addi possunt, præsertim *Matth.* 5. 16. vbi Redemptor Discipulos admonet: *sic luceat lux vestra coràm hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Rursùs *apud eumdem Matth.* 11. 25. inquit: *Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & Terræ, quià abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*, & penes *Ioan.* 4. 23. Samaritanã edocens, ait: *sed venit hora, & tunc est quando veri adorato-*

res adorabunt Patrem in spiritu, & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum; atque apud *eumdem Io*: 11. 81.ità in gratiarum actionem erga diuinum Patrem erumpit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*. Propterea *Marc*. 14. 36. sic Patrem Æternum orat: *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me; sed non, quod ego volo, sed quod tu*; irà etiam *Io*: 12. 28. eumdem rogauit: *Pater clarifica nomen tuum*, & enixius 17.1. ibi: *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*; atque in Cruce positus *Marc*. 15.34. voce magna exclamauit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*; & deinde *Luc*.23.44. dixit; *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*; & demùm *ibi* 46.hæc verba protulit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; post resurrectionem verò *Io*: 14. 13. & 16.sic Discipulos allocutus est: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio; & ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis*. Insuper docens Christus modum orandi *Matth*.6. ait: *Tu autem cùm oraueris &c. ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi*; Cùmque vnus ex Discipulis *Luc*.11. 1. petierit: *Domine doce nos orare*, ab inuocatione Patris initium sumendum *ibidem* 2. respondit, hoc est: *cùm oratis, dicite; Pater noster, qui es in Cælis &c*. Hìc autem Patris nomine, primam Personam intelligi affirmant Sanctus Ioannes Chrysostomus *Homil*.14.*in Matth*. Rupertus *lib*. 6. *de glor. fil. hom*. S. Augustin. *serm*. 126. *de temp*. S. Ambros. *lib*.5.*de Sacram. cap*. 4. Tertullian. & S. Cyprian. *in Opusc. de Orat. Dominica*, qui S. Cyprianus ait: *Qui facit viuere, docuit orare, vt dùm orationem, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur*, cum alijs allatis à Bellarm. *lib. de Orat. cap*.6. Durant. *de Ritib. Eccles. lib*. 2.*cap*. 48.*num*.2. Quod si opinioni recentiorum adhærere velimus, qui prædictis verbis *Pater noster, qui es in Cælis &c*. autumant, non primam diuinam Personam, sed totam simul Sanctissimam Triadem inuocari, vt innuit Reuerendissimus D. Promotor *sub* §.*vrges adhuc*, fortiùs roboratur nostrum assumptum, vt egregiè ponderat Laurentius A. Ponte *d. homil*. 65. *num*.13.14.& 15. *pag*.595. cuius verba super hoc puncto subijcere
„ præstat -- *nescio quid vehementiùs* mihi videre videor, quo animemur ad
„ Patrem Sanctissimum recurrere specialiùs, vt exaudiamur; nàm sic dis-
„ curro: cur tantoperè Deus, Sanctissimaque Trinitas Patris nomine blan-
„ ditur sic, vt summam ducat laudem Patrem inuocari? & secundo: cur
„ Christus Dominus infinitis alijs nominibus Sanctissimam Triadem no-
„ minare valens, Patrem nominauit; Equidem & ipsa etiàm nos creanit,
„ cur non creatrix nostra, vt diceretur, imperauit? Ipsa nos regit, cur non
„ gubernatrix? Ipsa nos saluat, cur non saluatrix? Ipsa nobis imperat, cur
„ non Domina? Sanè respondet Augustinus vbi supra, quià nulla laude sic
„ delectantur, & ideò vt beneuolentiam captemus, ad impetrandum illud
„ Christus præcepit; *Cùm autem in òmni deprecatione beneuolentia conci-*
„ *llanda sit*, ait Augustinus, *eius, quem deprecamur, per laudem illius, ad*
„ *quem deprecatio dirigitur, solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis*
„ *principio poni solet, Dominus noster nil aliud dicere iussit, nisi, Pater noster*
„ *qui es in Cælis*. Rectè quidem hoc, sed aliquid ampliùs vellem scire, cur
„ scilicèt tali laude sic delectatur Deus, vt præ alijs Patrem nominari prę-
„ eligat, quod sciens Christus illud præceperit, tanquàm medium ad im-
„ petrandum efficacissimum? sanè, ni fallor, & me mea coniectura non de-
„ cipit, ipsum est Patris nomen, cùm enim illud ex se, & ex primæua sua
„ significatione, ipsum nominet Sanctissimum Patrem, à quo, vt infrà, ex
„ Apostolo dicemus, omnis Paternitas denominatur, & ipso sic venerabi-
lis,

„ li filio, Sanctoque Spiritui sit tale nomen, vt nullo sic delectentur, ob
„ amorem ergà Sanctissimum Genitorem, quàm illo, nullam laudem sic
„ prætendant, quàm Paternitate insigniri, ex quo fit, vt ob eius reueren-
„ tiam nil denegare audeant, nil non assequantur, qui illud orant eum in-
„ uocando. Hinc hoc Sanctissimus callens Filius, tanquàm omnium San-
„ ctissimæ Triadis secretorum optimè conscius, quo erat desiderio, vt pe-
„ tita obtineremus, illud in oratione nostra apposuit nomen, quod sciebat
„ apud Sanctissimam Triadem efficaciùs ad impetrandum, vehementius ad
„ expostulandum; vndè rectè idem Augustinus vbi suprà: *Cùm homines*, ait,
„ *dicunt Deo, Pater noster, est quædam impetrandi præsumptio*; tùm quià,
„ vt ipse ait, *quid non det filijs petentibus, cum hoc ipsum anteà dederit, vt*
„ *filij essent*? tùm quià se venerabile apud Sanctiss. Triadem nomen est Ge-
„ nitoris, vt ob eius reuerentiam nil audeat denegare nil libentissimè non
„ *concedere*; & plura idē Auctor in id solidissimè adducit *n.16.17.& 18.*

12 Rationes huiusmodi roborantur vsu ipsius Ecclesiæ; non solùm ex Oratione Dominica, ex Litanijs, & Hymnis, præsertim illo, cui initium est *Te Deum laudamus*, ad Æternum Patrem directis, vt refert Reuerendissimus D. Promotor *sub* §. *Verùm his non obstantibus*, sed etiam ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, secundùm quam Orationes publicæ, & Sacrificia ferè semper diriguntur ad Patrem, vt obseruat Raynaud *d. pronunc. 1. pag. 26. col. 1. vers. ex ea formula*, & latius Thomasin. *in Opusc. de fest. Sanct. lib. 2. cap. 18. num. 3.* & nominatim ad Patrem directè sunt Orationes in Sabatho Sancto pro benedictione luminis, & ignis, & in Offertorio Missæ dicitur: *Suscipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam &c.*, & in Canone quilibet Sacerdòs pronunciat: *Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus, & petimus &c.*; ac in Symbolo fidei seiunctim inuocatur Pater à Filio, & Spiritu Sancto *Credo in Deum Patrem &c.* atquè ità in Symbolo Sancti Athanasij, & alia multa, quæ afferri possent, breuitatis gratia omittuntur. Non tamen prætermittendum est, quod in omnibus fermè Ecclesijs Imago adest Æterni Patris, sub specie Senis, separatim ab alijs diuinis Personis, & sine illis, ex quo patet ei ab Ecclesia exhibitus specialis cultus, vt pluribus adductis comprobat Reuerendissimus D. Promotor §. *Quæ omnia*; cùm cæteroqui in locis sacris non permittat Ecclesia eorum imagines, quibus cultus non est exhibendus, ex Decretis Vrbani VIII., & huius Sac. Congregationis, vt in libello eorumdem Decretorum *pag. 3. 6. 17.* vndè meritò Raynaud semèl, iterùm, & tertio fatetur, hoc Festum in honorem Æterni Patris esse pium, & sanctum, & ità etiam illius verbis relatis Reuerendiss. D. Promotor concludit *sub* §. *Hanc etiam, & sub* §. *Verum quidem*.

13 CIRCA secundum Articulum: An expediat instituere hoc Festum, primo loco Reuerendiss. D. Promotor §. *Contrarium verò* ex Raynaud nouitatem opponit. Verùm cùm ab eodem Raynaud admittatur, hoc Festum esse pium, & sanctum, ex proximè dictis; iuuat verba Cassiodori, *var. lib. 3. Epist. 17.* vsurpare: *Non sit nouitas, molesta, quæ proba est*; & sola nouitas, quæ sancta sit, nōnisi ab Heterodoxis impugnati solet, vt S. Bernardus *lib. de vit. solitar. sub initium* apprimè insinuat: *impletè gaudium, non meum tantummodò, sed omnium diligentium nomen Dei, vt in varietate vestitus deaurati de auro Sapientiæ Dei &c. ad Dei gloriam &c. hoc sanctæ nouitatis instauretur ornamentum*; *nouitatem verò dico*

 pro-

propter linguas nequam hominum impiorum, qui cum manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur &c. sed hac nouitas non est nouella vanitatis, res enim est antiqua religionis, perfectæ in Christo fundata pietatis, antiquæ hæreditatis Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum præmonstrata, & vt egregiè Fulgentius Petrell *tom. 1. quæst. 1. art. 2. num. 14.* distinguit: *nouitas duplex esse potest, alia commendabilis, alia detestabilis; detestabilis ea est, quę vana, inutilia, falsa, moribus fidei contraria, pugnantia cum Scripturis diuinis, sacrisque Patribus pronunciat; Commendabilis verò nouitas est, quæ seria, vtilia, vera, constantia, moribus apposita, fidei conuenientia sacris Paginis, ac Patribus refert*; proptereà cùm huiusmodi Festum admittatur pium, & sanctum, nil refert, quod sit nouum, & hucusque retroactis seculis non introductum; *nàm Religionis auctoritas non est tempore æstimanda, sed Numine, nec colere qua die, sed quid caperis æstimare*, inquit Arnob. *contr. Gent.* Si autem humani generis hostis ad noua mala inducenda quotidiè homines excitat, non est cur Deum id ad bonum non deceat, vt optimè arguit Tertull. *de veland. Virgin.* hisce verbis: *Quale est enim vt Diabolo semper operante, & adijciente quotidiè ad iniquitates ingenia, opus Dei, aut cessauerit, aut proficere destiterit, cum propterea Paraclytum miserit Deus, vt quoniam humana mediocritas omnia simul capere nō poterat, paulatim dirigeretur disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto?* At Romana Ecclesia noua, quæ petuntur, non respuit, sed consideratione debita examinat *Can. Communis dist. 25.* & ibi Gloss. *verb. nouum*.

14. In comprobationem dictæ nouitatis vitandæ circà institutionem Festorum Reuerendiss. D. Promotor *§. nouitatem* adducit celebrem Epistolam 174. D. Bernardi *in principio* ad Canonicos Lugdunenses scribentis: *nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? periculosè præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit*; & subindè: *sed de Auis, & Proauis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & Festorum non esset numerus. Patriæ est, & non exilij frequentia hæc gaudiorum. & numerositas Festiuitatum ciues decet, non exules*, cui Epistolæ, & multiplicitati Festorum totus ferè inhæret ad probandum, quin expediat instituere Festum Æterni Patris, & si pium, & sanctum; Theophil. Raynaud *pag. 31 pronunc. 4. vers. atque ità nullus esset finis Festorum, & pag. 32. num. 22. in princ. & §. dixi tamen in fin.*

15 At Sanctus Bernardus improbabat Festum Conceptionis Beatissimæ Virginis, nouitèr tunc introductum, Apostolica Sede inconsulta, ideò *in fine dicta Epist.* inquit: *nàm si sic videbatur consulenda, erat prius Apostolica Sedis auctoritas*; sicuti rectè expendit Thomasin. *in dicto Opusc. de Celebrat. Fest. lib. 1. cap. 10. num. 18.* Id proindè non aptatur Festo Æterni Patris, pro cuius introductione Rex Catholicus, Hispaniæ Episcopi, & Seraphicus Ordo Sedem Apostolicam consulunt.

16 Prætereà S. Bernardus agebat de Festiuitate mysterij, quod tunc tot Pontificijs Oraculis illustratum non erat, idcircò *ad fin. d. Epistolæ* subdidit: *Quæ nàm iàm erit festiuæ ratio Conceptionis? Quo pacto inquàm aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est? aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? libentèr gloriosa hoc honore carebit, quo, vel peccatum honorari, vel falsa indui videtur Sanctitas; alioquin nulla ei ratione placebit contrà Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis*; quàm rationem, nihil vrgere contrà Festum primæ diuinæ Personæ pium, & sanctum, nemo non videt,

det, immò eidem plurimum fauere perspicuum est.

17. Nèc pro eodē Festo D. Bernardus obijceret: *nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? periculosè præsumimus quicquid illorū in talibus prudentia præteriuit*, cum cæteris verbis, à Reuerendiss. D. Promotore ponderatis. Quandoquidèm de corpore mystico Christi, nempè Ecclesia, iudicandum est, sicuti de eiusdem corpore naturali; Christum enim ad mensuram ætatis in sapientia, & gratia creuisse ait S. Lucas 2. 40. hinc tamèn non est, quod æterna Sapientia post assumptam mortalem carnem potuerit sanctitate, & scientia sic augeri, sed legi nostræ naturæ se accomodans, paulatim illam demonstrauit, vt docent Sancti Patres penes Cornel. à Lapid. *ad d. cap. 2. Luc. pag. 67. col. 2. litt. C.* Sic etiam quodammodò Ecclesia, vestigia insequens Christi effulget, aperiendo identidem thesaurum traditionis, doctrinæ, & ritus pietatis, quæ anteà non apparuerant, licèt plenitudo Sancti Spiritus ab initio resederit in corde Ecclesiæ, & opportunè manifestat, prout æterna Prouidentia disponit. Sic perbellè in proposito ratiocinatur Thomasin. *dicto lib. 2. cap. 5. num.* 14. & ipse Christus Dominus *Ioann.* 16. 12. suis Discipulis dixit: *Adhùc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò*, vti ponderat À Ponte *d. homil.* 65. *n.* 42. vndè Ioann. Gerson. *tom.* 4. *pag.* 589. scribit: *Spiritus Sanctus interdùm reuelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas virtutes; vel expositiones sacræ Scripturæ, quas non reuelauit eorum Prædecessoribus*; quod etiam affirmat clar. mem. Card. Lautæa *in 3. Sentent. par. 1. tom. 3. disput. 6. n.* 118. *&* 152. & „ Gerson *loc. prox. cit.* addit: *Omni* tempore Doctores in sacra Scriptura in„ structi auctoritatem habent exponendi, & declarandi veritates, quæ ex „ ipsa sequūtur, sicuti habuerūt Doctores antiqui; & si dicas, quod non ha„ bent talem Sanctitatem, hoc non impedit, quin talem habeant auctori„ tatem; quandoquidem Prælati noui similē habent auctoritatem cum an„ tiquis ad eorum Populum gubernandum, licet non talem habeant Sanctitatem. Quinimmò *nonnunquàm id, quod à perfectis relictum est, reperit puellus, & in id, quod prætercursum est à sapientibus, incidunt idiotæ, & id, quod occultum est magistris, comparuit discipulis*, ait S. Ioannes Damascen. *Orat. pro Defunct.*; & rationem aperuit Christus Dominus S. Brigittæ, vt *Reuelat. extrau. cap.* 47. habetur: *Tibi, tanquam ad instrumentum nouum, ostendere volo noua, & vetera, vt superbi humilientur, & humiles glorificentur*. Quod si hæc procedunt circà doctrinam, & veritatem, quantò magis circà institutionem Festi pij, & sancti, à Prædecessoribus prætermissi? hoc sanè fatetur ipse Theophil. Raynaud „ *d. pronunc.* 2. *pag.* 28. *num.* 8. in hæc verba: *Non nego* Ecclesiam, vt in „ dogmatum planiore explicatione, ac illustratione, ità & in rituum no„ uorum, & decentis cultus apparatu posse proficere; nec enim minùs „ ad cultum diuinum in Ecclesia vigentem, quàm ad doctrinam, & sa„ pientiam, qua pollet pertinere potest, quod de Sapientia dixit Vin„ cent. Lyrin. *cap.* 30 *Commonit.* nimirū: *posse ei de nouo salua vnitate formā,* „ *speciem, distinctionem accedere*. Hoc igitur non diffiterer, & vt diffiteri „ vellem, experiētia multiplex reuinceret me, cum sit apertissimū, subindè „ multos ritus nouos singulis propè seculis esse inductos, vt monstrat Bre„ uiarium nostrū Cronologiæ *par. prior. col.* 9. cuius hic titulus: *Sacri ritus* „ *Ecclesiastici, quandò primum inducti*. Quapropter circà id concludendum est, quod antiqui Patres varijs temporibus varias induxerunt Festiuitates, quas præterita secula non agnouerunt, nec ob id præsumpsere sapientiores, aut deuotiores esse illis, qui tàm longæuo temporis

ris cursu anteà tales Festiuitates omiserant, vt apprimè expendit Thomasin. *cit.cap.5. num.13.*

18. Cæterùm in S.Ecclesia non est nouum induci de nouo cultum religiosum per specialia Festa, inquit Anonym. apud Raynaud *antè d.pronunc.1. pag.25.col.2.n.3.* & catalogum Festorum texit, quæ de nouo, & post secula instituta sunt; & quoniam ex his aliqua plenè destruunt quascumque ambiguitates, liceat super ijsdem aliquantulum immorari.

19. Festum Sanctissimę Trinitatis per plura secula nullibi celebratum fuerat, vt refert Reuerendiss. D. Promotor §. *Et quamquam*, & cum postmodum in aliquibus Ecclesijs paulatim introductum extiterit, vt summa eruditione *ibidem* Reuerendiss. D. Promotor prosequitur, vbi tamen actum fuit de tali Festo celebrando in Romana Ecclesia, non defuerunt impugnatores, ex eo moti, quod cum omnia Festa Catholicæ Religionis sint propria eiusdem Sanctissimæ Triadis, ideòque instituendo ad illius honorem speciale Festum, suspicabantur induci exclusionem, aut signum obliuionis, aut limitationem Festi vniuersalis ex omnibus alijs Festiuitatibus, vt narrat Thomasin. *d. cap.18. num.5.* & dubium forsan excitauit Microlog. *de Ecclesiast.obseruat. cap.60.per tot. in volum.diuers.de diuin.Offic.pag.405.* vbi de hoc latè agit, atquè huiusmodi difficultati innixus Alexander II. (non III. quia eius Decretalis allegatur à prędicto Micrologo, qui ad tempora Alexandri Tertij non pertigit, & Alexandro Secundo coæqualis fuit, vt post Rouer. *ad histor.S.Ioan.Reomaensf.num.10.* produnt. Raynaud *antè d.pronunc.1.pag.25.n.2. col.1.ad fin.& pag.28.n.9.col.1.ad fin. & pag.28.num.9.col.2.ad med.* Thomasin.*cit.cap.18.n.10.& 11.*) Alexander, inquam, Secundus in *c.quoniam de fer.* petentibus speciale Festum Sanctissimæ Trinitatis respondit: *Ecclesia siquidem Romana in vsu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret specialitèr festiuitatem, cum singulis diebus Gloria Patri, Filio, & Spiritui Sancto, & cætera similitèr dicantur, ad laudem pertinentia Trinitatis.* Hac tamèn Decretali non obstante sub aliud tempus Pisanel. *in Summ. Verbo Feria §.3.* affirmat, tale Festum Romæ institutum fuisse à Ioanne XXII. vt recensent Thomasin. *d.cap.18. num. 13.* & alij antiquiores, adducti à Reuerendiss. D. Promotore *sub cit. § quamquam.*

20. Hoc exemplum duplici capite mirè fauet indictioni Festi ad honorem Æterni Patris; Altero, quod Festum SS. Trinitatis erat nouum in Romana Ecclesia, nec anteà à vetustioribus Patribus introductum, immò illud admittere noluit Alexander II. id quod nullus Pontifex de Festo Æterni Patris hucusquè dixit; Altero, quod ratio à Raynaud, & Reuerendiss. D. Promotore ponderata §. *Et paritèr*, quod omnes Orationes, & omnia Sacrificia dirigantur ad Æternum Patrem, & ob id non expediat instituere speciale Festum, vt dictum est, hæc quoquè, & cunctæ Festiuitates conueniunt Sanctissimæ Triadi, & nihilominùs Ioannes XXII. peculiare Festum instituit, vt notat Thomasin. *d. lib.2. cap.18.n.7.& cap.19.n.20.*

21. Sentit robur huius argumenti Raynaud; postquam enim *d.pronunc.2. pag.28.n.9.* adduxit rationem superiùs tactam Decretalis Alexandri II. pro non instituendo Festo SS. Trinitatis, quia scilicèt quotidiè celebretur de eadem Festiuitas, dictamque rationem vigere dixit pro speciali
„ Festo Patris Æterni, subdit: *Nec poterit* retorqueri argumentum di-
„ cendo, sicuti Ecclesia tandèm induxit Festum speciale Trinitatis, quod
„ initio non celebrabat, ità videri debere idem præstare quoad Personam

Pa-

Patris; Sed ad argumentũ diuinatoriè reſpondit,nempe: *quoad celebra-*
» *tionem* Feſti totiùs Sanctiſſimæ Trinitatis potuerunt de nouo ſuboriri
» cauſæ, ob quas expediuerit hoc Feſtum ſpecialitèr induci, nimirùm,vt
» error aliquis exortus circà Trinitatem *comprimeretur*; dixi diuinato-
riè, quia id non conſtat, & aliam expreſſam rationem inſtitutionis pro-
fert Suarez *tom. 1.de Relig.lib. 2.de dieb.Feſt.cap.4.n.17.* in hæc verba:
» *quia* illud merito additum eſt ad maiorem reuerentiam Trinitatis, &
» vt expreſſior memoria tàm in Officio toto, quàm in Concionibus illius
» myſterij *fieret*; & ſubiungit. *nihilominus* omnes etiam Dominici dies
» ad peculiarem Trinitatis honorem inſtituti *ſunt*. Sic itàque ad maio-
rem reuerentiam Patris Æterni merito ſpeciale Feſtum addendum eſt,
licèt cæteræ preces, & Sacrificia ad ipſum dirigantur. Quod ſi Feſtiui-
tas Sanctiſſimæ Trinitatis inſtituta fuiſſet, vt putat Raynaud,ob aliquem
errorem exortum, ex hoc quoquè expediret Feſtiuitatem Æterni Pa-
tris admittere, ex inferiùs dicendis §. *Et hinc manifeſtè*.

22. Feſtum Auguſtiſſimi Corporis Chriſti in Ecclesiam inuectum affirma-
tur ab Vrbano IV. *Conſtit.1.§.1. Bullar. tom.1.pag.95.* ſic loquente: *Li-
cèt igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolemnijs
frequentetur, conueniens tamen, & dignum arbitramur, vt de ipſo ſemèl
in anno &c. memoria ſolemnior, & celebrior habeatur*; & infrà: *hoc enim
circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſeruat Eccleſia,
vt quamuis in Litanijs, & Miſſis, ac alijs etiam ipſorum memoriam ſæpius
renouemus, nihilominùs tamèn ipſorum natalitia certis diebus per annum
ſolemniùs recolat, Feſta proptèr hoc eiſdem diebus ſpecialia celebrando;
Et quia in his Feſtis circa ſolemnitatis debitum aliquid per negligentiam,
aut rei familiaris occupationem, aut alia ex humana fragilitate omitti-
tur, ſtatuit ipſa Mater Eccleſia certam diem, in qua generalitèr omnium
Sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipſorum celebratione Communi
quicquid in proprijs ipſorum Feſtiuitatibus omiſſum exiſteret, ſolueretur;
Potiſſimè exequendum eſt ergà hoc viuificum Sacramentum Corporis, &
Sanguinis Ieſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria, & corona, vt fe-
ſtiuitate, & celebritate præfulgeat ſpeciali, & quatenùs in eo, quod in alijs
Miſſarum Officijs circà ſolemnitatem eſt forſitan prætermiſſum, deuota
diligentia ſuppleatur, & Fideles, Feſtiuitate ipſa inſtante, inter ſe præte-
rita memorantes, id, quod in ipſis Miſſarum Solemnijs, ſecularibus forſan
agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humanâ minùs
plenè geſſerunt, tunc attentè in humilitate ſpiritus, & animi puritate re-
ſtaurent*. Hoc autem Pontificium Diploma ex identitate, ne dicam
ex maioritate rationis, apertè demonſtrat, nedum expedire, ſed
oporterè Feſtum in honorem Æterni Patris indicere, vt ſcilicèt *me-
moria ſolemnior, & celebrior habeatur*, licèt alia Feſta, & Sacrifi-
cia ad eumdem directa ſint; & exemplo ſpecialium Feſtiuitatum
Sanctorum in certis diebus, quamuis ij quotidiè honorentur in Miſſis,
& Litanijs, & Feſti inſuper generalis omnium Sanctorum, *circa Solem-
nitatis debitum in præmiſſis omiſſum exiſtit, tunc Fideles attentè reſtau-
rent*; cum pauci admodum ſint, qui ex cultu implicito aliorum Feſto-
rum, precum, & Miſſarum *animi puritate* primam diuinam Perſonam
ſummo honore, ex prædictis, dignam, venerentur; At S. Eccleſia, à
diuino Spiritu edocta, quantum differat cultus explicitus ab implicito,
non ei ſat fuit implicitè Sanctos adorari, ſed id voluit explicitè ad am-
pliorem deuotionem, & ſingularem reuerentiam, & ad actus exercendos
virtutum, vt probat A Ponte *d.§.20. pag.600. col.1. ſub verſ.hanc ſolu-
tionem*.

23. Feſtum Paſſionis Dominicæ ab Eccleſia ſpecialitèr celebratur ſexta
Feria

Feria antè Pascha, quamuis qualibet die in Sacrificijs, ac etiam in Festo Natiuitatis Christi fiat eiusdem Passionis Commemoratio, & hoc quia non est inconueniens, vt ex diuersis rationibus explicitè, & implicitè Festa celebrentur, D. Thom. *par. 3. quæst. 83. art. 2. in corp. & ad 1.* Sic quoque nullum inconueniens considerari potest in explicita celebratione Festi ad honorem Æterni Patris, quantumuis ad eumdem dirigantur implicitè omnia alia Festa.

24. Absquè eo quod in contrarium vrgeat, quod Festum Natiuitatis Christi sit magis propriè Festum Æterni Patris, vt ex Durand. Gauant: & Bisso Reuerendiss. D. Promotor obijcit *sub §. Et pariter* Hoc enim admittere placet, quia mirificè iuuat intentum nostrum; nam cùm tale Festum sit proprium Æterni Patris, iam igitur non est nouitas institutio Festi in honorem illius; Nec ideò diei posset esse superfluum aliud Festum celebrare, quia si rerū Ecclesiasticarū peritos indagatores excipiamus, paucissimi erunt, quibus innotescat, Festum Natalis Christi esse Festum Æterni Patris, quapropter opportunum est hoc Festum speciale ad tollendam talem ignorantiam Fidelium, cum cognitio diuinarum Personarum sit nobis necessaria, D. Thomas *par. 1. quæst. 32. art. 1. ad 3.* & de Æterno Patre Christus Dominus *Ioan. 17. 3.* admoneat: *hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, & ad Populum incendendum deuotione, & reuerentia ergà eūdem Æternum Patrem, & ad supplendum, quod in cultu implicito prætermissum est, vt exemplo Festi Sanctissimi Corporis Christi, & omnium Sanctorum suprà proximè demonstrauimus.

25 Festum Apostolorum, cui innititur Raynaud *d. pron. 2. pag. 29. n. 12.* pro excludenda speciali Festiuitate Patris Æterni, contrà ipsum ad stuporem vrget, & nostrum assumptum egregiè roborat: Antiquis nanque temporibus sub vna Festiuitate omnium Apostolorum memoria celebrabatur; quare S. Petrus Damian: *Serm. 2. de S. Bartholom:* inquit: *Ità est omnis Apostolici culminis beatitudo coniuncta, & tot gratiarum compage, vèl glutino probatur vnita, vt cùm eorum vnius Festiuitas colitur, protinùs omnium Apostolorum non diuersa sublimitas interioribus obtutibus ingeratur, vna scilicet intèr eos excellentia iudiciaria potestatis, eadem dignitas ordinis, nec diuersa in ligando, siuè soluendo virtutis habeatur auctoritas*; hoc, & alia profert Raynaud *loc: cit:*, & idipsum comprobat Ioan: Beleth: *de Offic: Diuin: cap: 124.* Durand: *in Rational. diuin. Offic. lib 7. cap. 10. num. 1. & 2.*, & fusè Thomasin: *d. tract. de Fest: lib. 1. cap. 4. num. 8. cap. 6. num. 13. lib. 2. cap. 22. num. 13., & cap. 23. num. 10.* & Auctor *Dissertat. Ecclesiast. super potest: Episcop. Galliæ circà diminut., & addit. Festor. pag. 85. & seqq.*; & ex hac vnitate Festi Apostolorum idem Raynaud *num. 13.* in hunc modum ratiocinatur: „ *Si igitur* eam ob causam Apostoli, & Sancti indiuisim memorantur, „ & coluntur, quantò iustius est idem dicere de diuinis Personis, qua„ rum infinitiès arctior est connexio, quam *Apostolorum*? Sed perindè àc immemor, quod subindè à Gregorio IX. indicta fuerunt specialia Festa singulorum Apostolorum, hanc nouam institutionem silentio obtegit; vndè sic nobis licet argumentari: si per plura secula vnum tantùm celebrabatur Festum omnium Apostolorum, quià vnitate gaudent, & in Christo vnum sunt, vt ex Magistro Floro ait Raynaud. *d. num. 12. ad fin.* & nihilominùs postea cuiuslibet Apostoli speciale Festum Ecclesia instituit, sìc nihil obstat institutioni Festi de Patre Æterno, licèt connexo alijs diuinis Personis, realitèr tamèn distincto, & licèt omnes diuinæ Personæ iàm colantur sub vnico Festo Sanctissimæ Trinitatis, àc implicitè sub omnibus alijs Festiuitatibus, & licèt anteà tale speciale

Fe-

Festum institutum non fuerit; & nostro argumento adstipulatur Thomasin: *dicto lib. 2. cap. 18. num. 3. 4. 5. cap. 19. num. 1., & 2. cap. 22. num. 9., & 13.*

26 Cessat etiàm nouitas huius Festi, immò augetur ratio institutionis eiusdem, vt inquit Guyet. *d. quæst. 5. §. Neq; verò nouum*, ex eo quod tempore Cyrilli Antistitis Hierosolymitani, qui floruit sub Imperatore Costantio anno à Christi natiuitate 365. ex Bellarmin. *de Scriptor. Ecclesiast.* Dei Patris Templum erat Hierololymis, cum idem Cyrillus *Cathechef. 7. Biblioth. Patr. tom. 4.* sìc Fideles hortatus sit: *Adoremus igitur Patrem Christi, Factorem Cœli, & Terræ, Deum Abraham, Isaac, & Iacob, in cuius honorem priùs ex opposito nobis hic Templum ædificatum est*, vt ponderat Reuerendissimus D. Promotor, *§. Accedendo*. Et quamuis *§. Neq; ad euitandam* ambigere videatur, quod tale Templum esset illud Salomonis antiquum, ambiguitas remouetur; Tùm ex eo quod illa verba *ædificatum est*, tanquàm præsentis temporis, accipi nequeunt de præterito, à quatuor scilicet retrò seculis, vt respondet A Ponte *d. homil. 63. §. 2. pag. 597. num. 19.* Tùm ex eo quod in nota marginali d. Cathechesis annotatur: *Dei Patris Templum erat Hierosolymis* vt aduertit idem A Ponte *dicto num. 19.* Tùm tertio ex eo quod in direptione Titi Salomonis Templum exustum penitus extitit, veluti natrat Card. Baron. *Annal. Eccles. tom. 1. anno 72. num 18.* & hoc in adimplementum prædictionis Christi, qui *Matth. 24. 2.* minatus est: *non relinquetur hic lapis super lapidem; qui non destruatur*. Proindè cùm sub Ecclesiæ primordijs Templum Æterno Patri fuerit erectum, res noua non agitur, instituendo illi Festum; sed potiùs antiquus Cultus instauratur.

27 Quatenùs verò Reuerendissimus D. Promotor *sub d. §. Neque ad euitandam* addat: *certum est, quod de concessione ab Apostolica Sede facta specialis Festi cum Officio proprio, & Missa in honorem Dei Patris nulla prorsùs habeatur memoria*: cùm in primitiua Ecclesia Templum extaret, Æterno Patri dicatum, non est verisimile, quod ibidem Sacra non fierent; eo præsertim, quod Cyrillus in verbis supra relatis *adoremus igitur Patrem Christi, Factorem Cœli, & Terræ &c.* non obscurè demonstrat, Cultum eidem à Fidelibus exhiberi, & iuuant tot Festorum exempla pro Sanctis, de nouo ab Ecclesia successiuis temporibus inductorum, quæ à pluribus retroactis seculis minimè celebrabantur, vt præter catalogum Anonymi apud Raynaud *pag. 25. num. 2.* probat Thomasin. *d. tract. de Fest. passim, & ferè per tot.* & ipse Raynaud *d. pronunc. 2 pag. 28. num. 8. ad medium*, inquiens: *idquè quoad Festa est longè testatissimum*.

28 Sed quid ampliùs laborandum est in demonstrando, nouitatem non esse institutionem huius Festi specialis? Habemus Engolismæ Diœcesis Burdegalensis primò impressum anno 1677. & dein anno 1687. *Officium proprium in honorem Dei Patris Æterni, Primæ Sacrosanctæ Trinitatis Personæ, cuius Festum celebratur Dominica quinta post Pascha*, vt ex libello, qui datur Eminentissimo D. Relatori; istudq; Officium parum differt ab eo, quod nos pro obtinenda approbatione exhibuimus; & compositum fuit à Reuerendissimo Abellij, Auctore celebratissimo, & approbatum à Reuerendissimo Archiepiscopo Turonensi, hisce verbis, vt in *penult. pag. d. libelli*, videlicèt: *Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Don Michael Amelot Archiepiscopus Turonensis, humilitèr postulante D. Renato Vogerio Palmio Argensonio, supradictum Officium, & Missam, ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Ludouico Abellij, an-*

tiquo Ruthenfium Epifcopo ordinata, *approbauit*; *&* *Feftum Dei Patris Æterni Prima Sacrofancta Trinitatis Perfona Dominica quinta poft Pafcha in Ecclefia Parochiali Argenfenta fub ritu duplici celebrari conceffit. Turoni anno falutis* 1677. *die* 24. *Septembris -- Michael Archiepifcopus Turonenfis -- Hoc Officium, Miffam, & Feftum benè multi Ecclefia Gallicanæ Principes fuffragijs fuis laudauere, & approbauere.* Nō igitur Hifpania,& Religio S. Francifci hoc Feftū expetunt,tāquàm rē nouā, cùm iàm a decem,& octo annis iftud celebretur in Gallia,eiq; fuffragati fint Antiftites illius Regni; introductio verò Feftorum in Ecclefiis particularibus eft ratio potiffima,vt deindè inftituantur etiam in Ecclefia Romana, vt liquet de Feſto Sanctiffimæ Trinitatis,ex traditis à Reuerendiffimo D. Promotore *Sub §. Et quamquàm*, & l. tē à Thomafin. *vbi fupra centenis locis*; ideò libentiùs annuendum eft, cùm agatur de inftitutione Fefti in fola Ecclefia Hifpana.

29 Non tamèn imperfcrutabilis videtur penitùs ratio, ob quam fpeciale Feftū Æterno Patri retroactis temporibus inftitutum non fuerit, ea nimirum, quæ adducitur pro Fefto Sanctiffimæ Trinitatis, tot præcedentibus feculis prætermiffo. Ab initio enim nafcentis Ecclefiæ, & temporibus Apoftolorum, celebrabatur quidem Sacrificium, canebantur Pfalmi, recitabantur & aliæ preces, fed in his Ecclefiæ cunabulis, nèç Apoftolorum, nec Martyrum, nec Confefforum, nèc Angelorum Fefta celebrabantur; Miffæ, & Officia fiebant folùm pro Cultu Diuinitatis, & diuinarum Perfonarum; poftquam verò inchoatus fuit cultus Apoftolorum, Martyrum, Confefforum, Virginum, & Angelorum, & incepta celebratio Feftorum in honorem illorum cum Officio, & Miffa, non ideò idem cultus ablatus eft diuinis Perfonis, qui eis folùm anteà exhibebatur; nàm Miffis, & Officijs,quæ olim fiebant de Sanctiffima Trinitate, fuerunt adiunctæ memoriæ Sanctorum, quorum interceffione faciliùs ad eamdem Sanctiffimam Triadem pateret acceffus; & ipfe Chriftus Dominus habetur tanquàm nofter Mediator apud Patrem Æternum: & quamuìs primarium Feftorum obiectum ab eorum origine, vt dictum eft, fit eadem Sanctiffima Trinitas, nihilominùs ea denominationem accipiunt à Mediatore, & Interceſſoribus, nos ad illam ducentibus, vt tradit Thomafin. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 6. At quoniàm fæpè contingit, vt homines medijs potiùs, quàm fini adhærentes, Diuinitatis quodammodò obliti, ex ignorantia,aùt ex affectu carnis, & fanguinis, Sanctos magis venerentvr, quàm Deum ipfum, diuinæ Prouidentiæ gubernatrici Ecclefiæ placere potuit, vt fpeciale Feftum Sanctiffimę Trinitatis inftitueretur, primùm in aliqua Ecclefia particulari, & deindè in Romana etiàm, idem Thomafin. *d.cap.* 18. *num.* 7. *& cap* 21. *fub num.* 15. Quæ ratio ęquè, & fortiùs ex infrà dicendis, viget pro fpeciali Fefto huc vfquè non introducto in honorem Patris Æterni.

30 Verifimilis quoquè eft alia ratio prętermiffionis à vetufto tempore huius peculiaris Feftiuitatis, ob hęrefim diù vigentem Arrianorum, qui impugnando ęqualitatem Patris,& Filij, in argumentum ducebant, preces, & Sacrificia dirigi ad folam primam Perfonam Sanctiffimę Trinitatis, vt ex S. Fulgentio, & alijs recenfet Raynaud *d.pronunc.* 1. *pag.* 26. *num.* 6., & ex eo Reuerendiffimus D. Promotor §. *Hanc etiàm*: & propterea prudentèr tùnc abftinuerit Ecclefia ab inftitutione fpecialis Fefti in honorem Patris Æterni, nè ex eo Arriani anfam arriperent fuum errorem fouendi; fed cùm talis hærefis iamdudùm extincta fuerit, & nullum in prefens adfit periculum ex fpeciali cultu Æterni

Pa-

Patris,aùt ſuſpicandi inęqualitatem Filij,aùt confundendi diuinas Per-nas, adeoquè clara ſint omnia, vt ipſe Lutherus, Sandero teſte *hæreſ.* 227. ad ignem deſtinauerit quemdam, affirmantem vnam in diuinis Perſonam, ſcilicèt Patris, vti appoſitè aduertit A' Ponte *d. homil.* 65. *§.3.in princ.pag.* 601. Et diutiùs in Eccleſia non fuiſſe introductas plures Feſtiuitates, quouſquè hęreſes extirpatę fuerint, pernotum eſt.

31 In primis etenim ſeculis ob timorem Idololatrię, cuius euerſioni maximum ſtudium impendebatur, non legitur exhibitum fuiſſe cultum Beatiſſimę Virgini, nè forsàn Gentiles,qui inanium Numinum Matres, tanquàm Deas, adorabant, id rectè agere arbitrarentur, ex eo quod Chriſtiani Deiparam colerent. Poſtquàm verò Neſtorius Sacratiſſimę Virgini conatus eſt Matris Dei qualitatem contendere, & hoc monſtrum, in primo Concilio Epheſino herculeè extinctum extitit, S. Eccleſia ſubindè opportunum, immo neceſſarium, duxit, ob exortas contrarias hęreſes, honores Beatiſſimę Virgini debitos, ampliùs haud differre, & ad eius cultum Templa excitauit, & Feſta inſtituit, vt tradit Thomaſin. *d.lib.2.cap.20.num.* 10. Et pręcipuè notandum eſt, quod Feſtum Natiuitatis eiuſdem Beatiſſimę Virginis non erat in Eccleſia introductum tempore S. Auguſtini, qui propterea *Serm.* 20. *de Sanctis*, ait: *Poſt illum Sacroſanctum Domini Natalis diem, nullius hominum natiuitatem legimus celebrari, niſi ſolius B. Ioannis Baptiſtæ*; & obſeruant Gauant. *in Rubric.Breuiar.ſect.7.cap.11.num.8.* Thomaſin. *d.lib. 2.cap.20.n.1.2.& 4.*

32 Gerſonis tempore non celebrabatur Feſtum Sancti Ioſephi Sponſi eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis, cùm ille anno 1417. de hoc conquerens Epiſtolas tres conſcripſerit *tom.4.pag.213.& 937.* de quo etiam miratur Florentinius Conciuis meus *in vetuſtior. Martyrolog. ad diem 20. Martij in princ.* & Cornel.à Lapid. *in Matth.* c.16 *pag.48.col.1. litt.A.* „ inquit: *neglectus* quidem fuit, & incognitus hucvſquè in terra,ſed „ eo glorioſior fuit in cœlo. Iàm tamèn Viri docti eius excellentiam „ oſtendentes,multos in eius admirationem, & venerationem rapuere; „ vndè nupèr Gregorius XV. Pontifex Feſtum eius ritu duplici ſo-„ lemnitèr à Populo, totaq; Eccleſia celebrari *iuſſit*; & Guyet. *Heortolog.Sacr.lib.1.cap.1.quæſt.12.pag.11.ſub verſ.2. ob Euangelij*, ſic ait: „ *Hic non* dubitem annumerare caſtiſſimum B. Virginis Sponſum Io-„ ſephum, tot titulis in ipſo Euangelij textu inſignem, cuius Feſtum, „ licèt actis retro ſeculis omnibus propè Calendarijs incognitum „ manſerit (quod verò fuerit Dei, hanc in te conſilium, inueſtigabi-„ mus alias) magno tamèn huius ſeculi bono, ac decore à Sixto IV. „ primùm Calendario Romano inſertum, & à Gregorio XV. anno „ 1621. publicæ etiam feriationis pręcepto auctum, vbiquè deinceps „ celeberrimum *euaſit*; rationem tamèn ab eodem Guyeto, vt hic promittit, inueſtigatam,apud ipſum repetire non valui; ſed eam aperit S. Bernardinus Senenſis *tom.3.Sermon.de S.Ioſepho art.2. cap. 3. in fin.* vbi hæc habet: *Denique licet tantæ fuerit dignitatis,& gratiæ iſte Sanctus, quod Æternus Pater eius primatus ſimilitudinem ſibi liberaliſſimè ſuper incarnatum Filium condonarit, tamèn S.Eccleſia non ſolemnitatem eius ordinauit &c. propter vitandum ſcandalum hæreticorum, vndè nec nominant eum Patrem, niſi cum denominatione putatiuum*; & latè idem profert Pater Binettus *de S. Ioſepho*, & disertè P. Segnerus *in Panegirico eiuſdem Sancti par.2.in princ.pag.mihi* 261. vbi oſtendit, ab initio Eccleſiæ Hæreſiarcam Cerinthum, eiuſque Sectatores,vt Verbi incarnati gloriæ detraheret, eam vomuerunt blaſphemiam, quod diuinum

Verbum ex carnali conenbitu conceptum fuerit, & ficùt veram Matrem Mariam, ità & verum Patrem Iosephum habuerit; vndè Ecclesia ne huic hęresi calculum addere videretur, per plura secula prætermisit cultum Sanctissimi Sponsi, sed postmodùm veritatis luce coruscante, supremos illi honores attribuit. Idque prudentissimè ab Ecclesia seruatum ex eo etiàm patet, quod Magi *intrantes Domum, inuenerunt Puerũ cum Maria Matre eius*, vt scribit Euangelista Matthens 2.11. nulla Sancti Iosephi facta mentione, quod ponderans Cornelius à Lapid. *ibidem*
„ *pag. 67. col. 2. litt. A.* inquit: *quià* aberat, iueratq; iu verbem, vèl agrũ,
„ vt cibos, aliaq; necessaria B. Virgini, & Christo procuraret; idque
„ Dei consilio, nè Magi eum Christi esse Patrem, Christumque ex eo,
„ more cæterorum Puerorum, genitum putarent.

33. Multa alia adducere possem exempla, id ipsum comprobantia, sed bina allata sat demonstrant, à verò non esse absimile, quod speciale Festum Æterni Patris temporibus retroactis introductum non fuerit, vèl ob hominum negligentiam, vel ob vitandum periculum hæresum tùnc grassantium, quæ hodiè iàm cessarunt, & aliæ hæreses recentiùs exortæ illud suadent, ex infrà recensendis, vt augeatur Fidelium deuotio ergà eumdem Æternum Patrem, vndè aptatur, quod de Festo Sanctissimæ Virginis Petrus Cellens. *lib. 6. epist. 23.* scribit: *Non erat ab initio Natiuitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente Fidelium deuotione addita est præclaris Ecclesiæ Solemnitatibus.*

34. Aliud motiuum excitat Reuerendissimus D. Promotor S. *Contrarium verò* ex eodem Raynaud *d. pronunc. 4 pag. 31., & 32.* tale scillcet Festum non expedire, ne deindè alii expetant Festa æternæ generationis Verbi Diuini, & spirationis Spiritus Sancti vsquè adhùc ab Ecclesia non celebrata, & sic nullus detur finis multiplicandorum Festorum specialium.

35. Hoc autem motiuum non vrget, quoniàm inter rationes conuenientiæ Festi specialis ad honorem Æterni Patris, ea præcipuè est, quod sicuti peculiaria Festa ab Ecclesia fiunt de alijs duabus diuinis Personis, sic expedit, vt celebretur etiàm de Æterno Patre, ad euitanda præsertim pericula mox referenda; quamobrèm ex hoc Festo instituto non infertur, quod celebranda similitèr sint Festa æternæ generationis, & spirationis; eò potissimè, quod Festum generationis æternæ celebratur in ipso Festo Natiuitatis Dominicæ per primum ex tribus Sacrificijs, D. Thoma *part. 3. quæst. 83. art. 2. ad 2.* docente: *In die autèm Natiuitatis plures Missæ celebrantur proptèr triplicem Christi Natiuitatem, quarum vna est æterna, quæ quantum ad nos est occulta; & ideò vna Missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te*; & antea id notauit Rupertus Abb. *de Diuin Offic. lib. 3. cap. 17. in volum Diuers. de Diuin. Offic.* At ignarus Populus nèc æternam generationem, nèc æternam spirationem scit cogitare, nèc capax est distinguendi, quod Festa Christi, & Spiritus Sancti relatiuè fiant ad mysteria, & visibiles apparitiones; àc videns nullum Festum celebrari de Patre Æterno, in hoc faciliùs errare potest, quàm in perscrutandis diuinis processionibus; & pro huiusmodi Festiuitatis institutione frustrà Raynaud exaggerat multiplicationem Festorum ex citat Epist. 174. D. Bernardi, cui satis est cum eodem D. Bernardo *ser. 1. in princ. de Pentecost.* respondere: *si celebramus Sanctorum solemnia, quantò magis eius, à quo habuerunt, vt Sancti essent quotquot fuerunt Sancti? si veneramur Sanctificatos, quantò magis ipsum Sanctificatorem conuenit honorare?*

36. Bi-

36. Binas alias difficultates subdit Reuerendissimus D. Promotor *sub dicto §. Contrarium verò verſ. conſiderat*, ex eodem Raynaud *num.* 20. nē videlicèt ex hoc Festo speciali Patris Æterni quis fortasse adducatur ad somniandum, quod ea primum die Pater Æternus Pater fuerit, & Filium genuerit æqualem sibi, ac insuper, quod ea diuulsio Personarum quoad Festa, magnam occasionem præberet rudibus inficiandi vnitatem diuinæ essentiæ, & vt plures Personas pluribus Festis celebratas, ità etiàm plures Naturas diuinas, quæ singulæ Personis singulis respondeant, agnoscendi.

37. At præterquamquod ex toto Officio exhibito, & potissimum ex Sermonibus, & Homilijs Sanctorum Patrum, Lectionibus secundi, & tertij Nocturni aptatis, dilucidè explicatur mysterium, mirum est, vt Raynaud hunc scrupulum moueat pro rudibus, & simùl eos capaces credat diuinarum processionum, & suspicandi ijsdem processionibus Festa ab Ecclesia esse addicta. Sed quicumque scrupulus euanescit, ex eo quod hoc Festum instituitur nominatìm tantummodò ad honorem Æterni Patris, vndè nescitur quis homo rudis ex tali Festo somniare valeat eo die Festi Patrem Æternum fuisse Patrem, & tùnc genuisse Filium æqualem sibi. Quod si vrgeret hic scrupulus, prohibendum foret Festum Dominicæ Passionis, nè rudes eo die, quo singulis annis Festum celebratur, credant totiès passum & mortuum fuisse Christum, vt suo tempore Diuus Augustinus *in præfat.* 2. *psalm.* 21. quosdam coarguebat: *quotiescumque Pascha celebratur, numquid totiès Christus occiditur?* Idemque scrupulus respectu ass. diuulsionis Personarum, non dignoscitur maioris ponderis; nam si alicuius momenti esset, permitti nequaquam deberet in Templis Christianorum Imago Patris Æterni, quæ in omnibus fermè Ecclesijs, vt iam dictum est, præsertìm in tholis, picta conspicitur, etiam separatìm ab alijs Diuinis Personis; ex ea enim vulgus ignarum, de quo loquitur Raynaud, longè faciliùs, quàm ex institutione Festi in honorem Æterni Patris, occasionem sumere posset inficiandi vnitatem diuinæ essentiæ, cum ex S. Gregorio *lib.* 9. *Epist.* 9. *ad Serenum Episcopum Massiliensem*, relato *in Canone perlatum de consecrat. dist.* 3. habeatur: *quod legentibus præstat scriptura, hoc præstat pictura idiotis cernentibus, & etiàm ignorantes in ipsa vident, quod sequi debeant, & in ipsa legunt, qui litteras nesciunt, & ipsis etiàm gentibus pro lectione pictura est*, cum alijs in re simili ponderatis per Patrem Blasium à Purificatione *de Adorat. disput.* 4. *dub.* 2. §. 2. *pag.* 173. *col.* 2. *verſ. Cæterum, &* §. 3. *pag.* 181. & tamèn certum est, quod ab Ecclesia non solum permittitur in Templis collocari Imaginem Æterni Patris ad eiusdem cultum, vt ex Suarez, & alijs probat Reuerendissimus Dominus Promotor *sub* §. *Verùm his*, sed damnata est contraria Hesselij sententia, vt superiùs *in principio* retulimus, propterea talis Raynaudi timor est Panicus, vt ipsemet paulò antè in re simili dixerat *dicto pronunc.* 1. *pag.* 27. *colum.* 2. *verſ. & hic est timor*.

38. Et hinc manifestè patet, hisce temporibus admodùm expedire ad prorsùs hanc hæresim extirpandam instituere speciale Festum in honorem Æterni Patris, & ex hac præcipuè ratione istud postulant Maiestas Catholica, Hispaniæ Episcopi, & Franciscanorum Religio; quocirca præter superiùs adducta §. *Verisimilis*, ipsissimum habemus exemplum Festi Augustissimi Corporis Christi, ab Vrbano IV. instituti *d. Constitut.* 1. §. 1. vbi exprimitur institutionis causa: *conuenientem tamèn arbitramur, & dignum, vt de ipso semèl saltèm in anno ad confundendam specialitèr hære-*

tico-

ticorum perfidiam, & insaniam, memoria solemnior, & celebrior habeatur, & Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 5. idem Festum ità commendat: *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere, vt eius Aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta vniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vèl pudore affecti, & confusi, aliquandò resipiscant*; quod effatum mirè congruit, ex mox adductis, Æterni Patris Festiuitati, & hoc nolens confirmat Raynaud *d. pronunc.* 2. *pag.* 28. *nu.* 9. *ad med* vbi respondens Festo Sanctissimæ Triadis, ait: *potuerunt de nouo suboriri causæ, ob quas expediuerit hoc Festum specialitèr induci, nimirum, vt error aliquis exortus circà Trinitatem comprimeretur, dareturque occasio Fidelibus profitendi apertiùs hoc mysterium, Rectoribus autèm Ecclesiarum, & diuini verbi Disseminatoribus explicandi illud diligentiùs, & pleniùs*. In hoc solum discrepamus, quod Raynaud id autumat ex potentia, & nos probamus ex actu.

39. Demùm Reuerendissimus Dominus Promotor §. *final.* animaduertit, hanc Sacram Congregationem aliàs prohibuisse Missam de Patre Æterno, Madriti editam, cum alijs Missis ab eo enunciatis, ex Gauant. *in Rubr. Missal. part* 4. *tit.* 17. *num.* 14. *pag. mihi* 271. & huic motiuo valdè inhæret Raynaud *dicto pronunc.* 2. *pag.* 28. *col.* 2. *in princ.* cui adstipulatur Bayl, ab eodem Reuerendissimo Promotore allegatus. At prohibitio Sacræ Congregationis in Regestis die 8. Aprilis 1628. *fol.* 96. ità loquitur: *Missas item, quæ circumferuntur à Sacra Congregatione non approbatas, S. Gregorij pro Viuis, & Defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre Æterno, sicuti etiam Officia ab eadem non approbata*. Verba autem, *quæ circumferuntur*, & alia à *Sacra Congregatione non approbata*, clarè indigitant ex eo editam prohibitionem, quod propria auctoritate, & absquè Sac. Congregationis assensu Missæ, & Officia huiusmodi fuerunt typis mandata; & ijs congruit citata Epistola 174. Diui Bernardi: *nàm si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis auctoritas*; ideo ea prohibitio non aptatur petitioni Maiestatis Catholicæ, quæ semper in Apostolicam Sedem obsequiosissima, ab eadem Festi approbationem expostulat. Ex illa tamèn Missa, vsquè ab anno 1628. vulgata, fas est dignoscere iamdiù Festum Æterni Patris in votis Christifidelium fuisse, vt notat Bayl, in verbis allatis à Reuerendissimo Domino Promotore §. *vltimo in fin.* Quod si ab exemplo prohibitæ editionis illius Missæ, & Officij absquè Sedis Apostolicæ auctoritate liceret arguere contra petitam institutionem Festi, nobis è conuerso argumentari esset integrum ab alio exemplo Officij, & Missæ Gallicanæ Ecclesiæ, bis typis impressorum sinè assensu Apostolicæ Sedis, quæ Officium Missam, & Festum huiusmodi non prohibuit.

40. Pro coronide ad quæcumque obiecta soluenda supplicantur Eminentissimi Patris ponderare, quod iàm hoc Festum Æterni Patris à Sede Apostolica approbatum est, cùm Sanctissimus D. Noster, vt diximus *sub initium*, plenariam Indulgentiam elargitus fuerit Confratribus Sodalitij erecti in honorem Æterni Patris, speciatim pro die illi Festo, vt in libello penès Eminentissimum Dominum Relatorem *pag.* 25. ibi: *hauiendola esse año enriquecido N. M. S. P. Innocencio XII. con. vn Iubileo plenissimo para el dia su anual fiesta: y concedido assimismo Indulgencia plenaria para la hora de la muerte, y para otros muchos dias de los año, como consta por su autentica*; ac de huiusmodi concessione testari dignabitur Eminentissimus D. Cardinalis Albanus. Per hanc autèm Indulgentiam

20

voluit Summus Pontifex vt Æternus Pater magis honoraretur ex tali Festo *Extrauag. Antiquorum de pan. & remiss.* vbi Bonifacius VIII. largiendo Indulgentiam accedentibus ad Basilicam Principis Apostolorum, dixit: *Vt autèm Beatissimi Petrus, & Paulus Apostoli eò ampliùs honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Vrbe deuotiùs fuerint à Fidelibus frequentatæ &c. Nos igitur &c. à Festo &c. ad Basilicas ipsas accedentibus &c. plenam &c. concedimus veniam peccatorum &c.* & Gloss. *ibidem vers. confitebuntur, vers. tertio requiritur.* ait: *in omni enim concessione Indulgentiarum Ecclesiasticarum finaliter debet attendi, vt per hoc Deus honoretur, & fides exaltetur Catholica*; idemque statuit Sixtus IV. *in Extrauag. Cum præcelsa de reliq. & vener. Sanct.* pro Festo Conceptionis Beatissimæ Virginis, vndè Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 2. de dieb. Fest.*
„ *cap. 8. pag. 181. sub num. 2.* agens de eodem Festo, inquit: *Ecclesia*, non
„ solùm permittit, & tolerat hoc Festum, sed etiàm approbat, & consulit,
„ & Indulgentijs concessis fauet obseruantibus illud; non potest autèm Ec-
„ clesia admittere vniuersalem errorem in materia morali, ergò nec cul-
„ tum illicitum, positiuè, vt sic dicam, approbare; est ergò cultus illius Fe-
„ sti sanctus, & *licitus*; & consonant Hurtad. *de Fid. disput. 1. difficult. 11. §. deindè*, Hartiag. *de Fid. Diuin sect. 5. num. 29.* Barbos. *de Iur. Eccle-siast. lib. 1. cap. 21. num. 40.* Thomasin. *d. lib. 2. cap. 5. sub num 8.* & conferunt tradita circà cultum Sanctorum ex huiusmodi Indulgentijs à clamem. Cardinali Lauræa *in 3. sentent. tom. 3. part. 1. disput. 5. art. 3. n. 86 cum plurib. seqq.* & Pignatell. *Consultat. canon. 252. per tot. tom. 1.* & ab Auditoribus Rotæ in Relationibus Canonizationum S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ *part. 2. tit. de Sanctit. in gen. §. secundò ista*, Sancti Isidori Agricolæ *artic. 2. de vita &c. §. Itèm adsunt cum §. sequent. & artic. 13. §. supradictis*, ac S. Philippi Benitij *tit. de fam. §. Octauum se prabet.*

41\. Cum igitur ex hac largitione Indulgentiæ approbatum auctoritate Apostolica pateat Festum Æterni Patris, ex eadem quoque Indulgentia facilior redditur concessio Officij, & Missæ in honorem eiusdem; nam alias Sacra hæc Congregatio in Causa Spoletana Canonizationis B. Iacobi de Meuania, Ordinis Prædicatorum, decreuit, constare de casu excepto à Decretis Vrbani VIII. super non Cultu editis, ex Indultis Apostolicis Bonifacij IX. & Pauli V. & deinde ex iisdem Indultis concessit facultatem celebrandi Missam, & recitandi Officium de dicto Beato, vt ex Decreto, hic in calce, & prædicta Indulta nil aliud continebant, quam binas Indulgentias eorumdem Bonifacij IX. & Pauli V. vt ex supplici libello ad id obtinendum Sacræ Congregationi porrecto, & ex Animaduersionibus bo: me: de Rubeis Promotoris Fidei, à me visis in Regestis Secretariæ, & testari poterit Illustriss. D. Secretarius; ob quod exemplum repetere liceat supradicta verba D. Bernardi: *Si celebramus Sanctorum solemnia, quanto magis eius, à quo habuerunt, vt Sancti essent quotquot fuerunt Sancti? si veneramur Sanctificatos, quanto magis ipsum Sanctificatorem conuenit honorare?*

Quare &c.



Frigdianus Castagnorius.
è Colleg. Patron. Caus. S.P.A.

Spo-

Spoletana.

Canonizationis Beati Iacobi de Meuania Ordinis Prædicatorum.

CVm alias Sac. Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi Domini Cardinalis Sfortiæ huius Causæ Ponentis sub die 14. Mensis Maij anni 1672, decreuerit, constare de casu excepto à Decretis fel. recor. Vrbani VIII. super non Cultu editis, ex Indultis Apostolicis: videlicet fel. rec. Bonifacij IX. & Pauli V. in actis exhibitis. Hodie referente eodem Cardinali Sfortia, Sac. ead. Congregatio ad preces Procuratoris Fratris Thomæ de Roccaberta Magistri Generalis Prædicatorum totius Ordinis Sancti Dominici, censuit concedendam esse facultatem recitandi Officium cum celebratione Missæ de Communi vnius Confess. non Pontif. quolibet Anno die Festo eiusdem Beati, in omnibus, & singulis Ecclesijs Terræ Meuaniæ Spoletanæ Diœcesis, vbi asseritur eumdem Beatum natum, & vita functum esse; Et pro omnibus Sacerdotibus tàm Secularibus, quam Regularibus confluentibus ad Ecclesiam, Conuentibus Fratrum Prædicatorum dictæ Terræ tantum, vbi dicitur asseruari, & publicæ Venerationi expositum esse illius Corpus, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Cæterisque in contrarium quibuscumque, si Sanctissimo visum fuerit. Hac die 6. Maij 1673.

Et facta de præmissis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua non dum annuit, sed huiusmodi concessionem approbauit, & confirmauit Die 17. Maij 1673.

Ita reperitur in Regestris Congregationis Sac. Rit. In quorum fidem die 8. Martij 1696.

Bernardinus Inghirami Sac. Cong. Rit. Secr.

Secreti uarij.

L'oro, & argento uecchio delle frangie, trine, merletti si rinuoua e
pulisce con una ò due fogliette di acqua, che a uil prezzo uendono
& adoprano i Saponari per far il sapone. Vi si bagna, ò tinge una scop-
pettina di pelo tenero, con cui leggierm.te si stuffina l'oro & argento
uecchio, e di in una Concolina d'acqua fresca si lascia cascare subito
lo stuffinato, acciò scarichi l'acqua de' saponari dell'immondezza di-
seccata: si rinuolta poi umido strettam.te acciò prendi ottima piega, &
all'aria finalm.te si rasciuga uoltato.

Cimici

Si estirpano prendendo calce uiua libre due: Verde porro un baiocco
orpimento un baiocco. Si mescola il tutto con oglio commune al foco
e tepido poi con il pennello si stende ouunque sono, ò si temono i Ci-
mici.